

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

gent, & fient, Matth. 5. v. 4. Luc. 6. v. 21. Euntes ibant & flebant. Venient autem cum exultatione, Psalm. 126. v. 6. Et qui hic non magni fiunt, ibi tamen coronabuntur, si Deo militauerint, 2. Timor. 4. v. 8. Vbi abstergentur omnes lacrymæ, Esa. 25. Exaltabit suo tempore, 1. Pet. 5. v. 6.

Admonentur autem impii, ne sibi gratulentur, cum rebus secundis vtuntur: quas (ipforum quidem iudicio) decent superbiz. Etenim proximus adest interitus. Extrema gaudii luctus occupat, Prou. 14. v. 13. Væ tibi ridenti, quia mox post gaudia flebis, Luc. 6. v. 25.

II. Patientiam hoc in animis piorum augere, & spem fouere debet: quia utilis est humiliatio ista DEI. Antequam humiliarer, erraui, Psalm. 119. v. 67. Et bonum est mihi quod humiliasti me, Ibid. v. 71.

Disciplina ista docet, vt est in versione Latina huius loci.

III. Qui magni fieri volunt, non seipfos exaltare aut magnificare debent.

Nam qui se exaltat, humiliatur, Mth. 23. Luc. 3. & 14. & 18. Qui autem se humiliat, exaltabitur. Humiliamini ergo sub potenti manu Dei, 1. Pet. 5. v. 6. Per humilitatem vnusquisque alium iudicet superiorem se, Philip. 2. v. 3. Et quanto quis maior, tanto debet esse humilior, Syr. 3. vers. 20. Hoc magnos facit humiles.

F I N I S.

## T H E M A XLVII.

Psalm. 23.

*Dominus regit me, & nihil mihi deerit, vsque ad finem Psalmi.*

### D I S P O S I T I O.

Dauid, qui diu fuit pastor ouium. 1. Sam. 16. & post etiam populorum multorum, in hoc Psalmo fit ovis, respectu summi Pastoris & *agrum* Dei sicut & nos omnes, siue bubulci siue reges simus, inter oues numerandi

randi fumus, Psal. 79. 95. & 100. Christus autem pastor est, Esai. 40. v. 11. Ioan. 10. In hoc itaque Psalmo, Dauid gra-  
tus recenset, quanta ab hoc pastore habeat beneficia, 1. in  
vita, 2. in morte, 3. & post hanc vitam. Quia igitur & nos  
cupimus esse oves Christi, hæc tria ex hoc Psalmo consi-  
derabimus ordine. & tandem etiam, quis horum omnium  
vltus sit, indicabimus.

## I. Pars.

Opus habet ovis tutela, contra lupum & alias bestias.  
Quia per se est animalculum prorsus imbellis.

Dicit ergo Dauid non deesse ipsi tutelam Dei. Qui enim defendit contra vrsam & leonem, atque contra Goliathum & Saulem, is etiam defendit à leone rugiente, 1. Pet. 5. v. 8. & mundo, qui est lupus. Cum pii sint in mundo, tanquam oves in medio luptorum, Matth. 10. v. 16.

2. Ovis opus habet pascuis & potatione. Neque hic quicquã deerit. Ducit me Deus non ad paleas & tribulos humanarum traditionũ, sed ad amœna pascua verbi sui.

Et potat me non ex lacunis doctrinæ humanæ, sed ducit ad aquas salientes Euangelii sui, Esai. 12. v. 3.

Hic est cibus pro his, qui esuriunt iustitiam. Hæc sunt pabula, quæ non marcescunt, & cibus, qui nõ perit, Matth. 6. v. 33. Ioan. 6. v. 27. Et quo magis ruminatur, eo melius nutrit. Hæc est aqua illa, Ioan. 4. v. 10. & 14. & 15. Et quod Dauid sic velit intelligi hæc, patet ex verbis adiectis, *Resicit animum meam*. Anima sicut ad Deum Psal. 42. v. 3. Non terrena quæro. Quamuis etiam in corporalibus nihil defuerit Dauidi. Non vidi iustum derelictum, Psal. 37. v. 25.

3. Ovis opus habet *ducẽtore*, & pastore seu rectore, qui præcedat, ne aberret à via. Errauerat sane Dauid, sicut ovis, quæ perit, Psal. 110. v. 176 cum fieret adulter & homicida, & blasphemaretur propter ipsum nomen Domini. At Dominus reduxit ipsum in viam, & in semitas iustitiæ, *propter nomen suum*: ne illud amplius blasphemetur.

## II. Pars.

Deinde inquit David, scio mihi aliquando moriendum, & eundem per vallem pacam, & quidem noctur: ubi ovis non posset tuto transire. Quia noctu grassantur lupi omnium maxime, & ouibus in vallibus insidiantur. Sed non timebo malum, & erit mihi nox lucida sicut dies, & vallis sicut campus spaciosus. Quia tu mecum es. Alioquin nemo me poterit defendere, ne fortes illi quidem, 2. Sam. 23. vers. 8.

Meus baculus & funda mea, uibus vrsam, leonem & Goliathum debellavi, meum sceptrum & coronam, & ipse gladius Goliathi, non defendet. Nec 1300000. bellatores mecum erunt. Tu autem mecum eris. Quia promisi tibi. Psa. 91. y. 15. Cum ipso sum. *Virga tua impedum tuum.* hoc est, diuina tua omnipotentia me solatur. Illa adbiget lupum, illa me perducet per vallem mortis.

## III. Pars.

Et quid tum fiet? Ostendit David, Quanta porro futura illius felicitas. Parati in conspectu meo mensam, &c. *Bonitas tua sequetur me. Manebo in domo Domini in aeternum.*

Quantquam hæc verba de beneficiis illis spiritualibus intelligantur à plerisque, cum Deus Evangelii dulcissimis consolationibus peccatores, tanquam cibus lautissimis & oleo fragrantissimo reficit: & quoque regnum Dei in hac vita sic in nobis incipiat, vt hac spe iā salui simus, 1. Ioh. 3. v. 2. & Rom. 8. v. 24. possunt tamen hæc omnia de gaudiis vitæ æternæ explicari: cum alia etiam scripturæ loca, de his fere in eandem sententiam loquantur

2. Beati censentur, qui instructam habent mensam, præsertim inspectantibus inimicis suis inuitis: vt cum Valerianus & Baiczethes viderunt mensam suorum victorum

Parata est autem mensa illa omnibus electis in regno Dei: de qua Christus Luc. 22. v. 30.

Et

Et per fercula illa, abundantia lætitiæ & delectationis intelligitur, de qua Psal. 16. in fine.

2. Olim in magnificis conuiujs hospites reficiebantur oleo: vt Christus Ioan. 12. v. 2. Vide Luc. 7. v. 37. Hic oleum lætitiæ & honoris est in vita beata: & tranquillitas conscientiæ.

3. Non deest etiam vinum, vbi hilaritas est. Idem hic. Illam mensam instruit Christus Pastor. *Quandiu hoc conuiuium duraturum addit: Omnibus diebus vitæ.* Manebit mecum misericordia & bonitas in hac vita, & tum erocum Deo in æternum.

#### IV. *Vsus.*

I. Discimus oues Christi, hoc est, Christianos esse homines felicissimos in hac vita, in morte, & post hanc vitam: licet hic sint oues in medio luporum. Hi soli dicere possunt. Nihil mihi deerit. Prospicit illis Deus de victu & amictu. Et licet interdum egeant, omnia tamen possident. Vide. 2. Cor. 6. vers. 10. Diuites in paupertate, sani in morbo. In persecutione Dominus Pastor est eorū. Impiis omnia defunt: quia carent Deo, consolatione, bonâ conscientia: & euigilante peccato non exhilarant opes, &c.

Pios Deus dirigit in semitis iustitiæ, ne incidant in peccata & confundantur. Impii confunduntur, etiam coram mundo. Pii non horrent mortē sed dicunt, Nunc dimittis. Luc. 2. Impii exhorrescunt, cum audiunt de hac valle. Non habent baculum consolationis, si opes mundi possideant, Proverb. 11. v. 4. Pii in altera vita fruuntur gaudio, mensa, oleo, vino, &c. Impiis deerit gutta aque, Luc. 16. v. 24. pro oleo sulphur, pro vino ignem, pro mensa infernum habent, Apoc. 21. v. 8.

Conferantur inter se Saul & David. Davidi nihil defuit. Quia habuit consolationem, Psal. 73. v. 25. Et licet interdum etiam esurierit tamen non derelictus est, Psal. 37. v. 25. Non moriar, inquit. Psal. 118. v. 17. & semper est excelso animo etiam in aduersis. Saul obfessus est à Dia-

bolo, nihil habet etiam in splendore regio. & cum moriendum est, à Diabolo terretur, 1. Sam. 28. v. 20.

II. Admonetur autem vt simus oues, non porci, canes, 2. Petr. 2. Adhæreamus pastori ducenti, & pascua sequamur, atque ductum illius, nec temere desectamus.

Tunc nihil deerit, neque turela, nec consolatio conscientia, non cibus, non potus. Sat habebimus in vita, in morte & post hanc vitam. Parata est mensa, Baculus tuebatur. Misericordia sequetur in æternum.

F I N I S.

T H E M A XLVIII.

Pfal. 31. v. 6.

*In manus tuas Domine commendo spiritum meum.  
Redemisti me Deus veritatis.*

D I S P O S I T I O.

Duo sunt homini charissima, quibus cupit bene esse non solum in hac vita, sed etiam post hanc vitam: Anima scilicet & corpus. Et de corpore quidem, in terram per se reuersuro, minus solliciti esse possumus: cura vero maior sit de anima. Quia si anima bene sit, certum est, corpus, suo tempore, eadem cum anima felicitatem sensurum. Sicut vicissim si negligatur anima, & ad cruciatus perueniat, corpus eiusdem calamitatis futurum est particeps.

Ideoque omnes boni merito hoc agunt, vt animulae suae prouideant, quæ vt ex hoc loco & aliis patet, non cum corpore est moritura. Hoc perpendens noster Psalteres, animam suam commendat in manus illius, apud quem sperat optime depositam. Illius exemplum imitaturidicemus,

1. Quinam, & quare, quomodo item & quando anima sit commendanda.

2. Vnde certi esse possumus, quod illa sit in talem clientelam peruenitura, vbi ei perpetuo bene sit.

I. Pars.